

dari posset, nihil moror, quoniam ille (juxta omnium sacrorum doctrinam) parum efficax est ad doctrinam aliquam comprobendam. Secundo pro se assertit idem Otho aliud testimonium ex eodem Esaiâ Propheta sic dicente: *Non occident, & non nocebunt in universo monte sancto meo.* Et certe (ut ingenue fatear) ego non possum intelligere quomodo ex illis verbis possit ille Otho colligere hæreticos non esse occidendos, cum non in particulari de foliis hæreticis: sed elocutione universali de omnibus Esaiâs Propheta dicat: *Non occident, & non nocebunt in universo monte sancto meo.* Nisi forte Otho ille contendat Deum per illa Esaiâs verba prohibere omnem cuiusvis hominis occasionem, ac proinde eisdem etiam verbis prohibuisse ne hæretici occidantur. Sed hoc falsum esse, & à fide Catholica alienum, in proxime præcedenti cap. ostendimus. Præterea, si Otho dicit Deum per illa verba prohibere hominem aliquem intra Catholicam Ecclesiam occidi, consequens est, ut etiam fateatur Deum prohibere, ne post datum Evangelium potestas aliqua inferat aliquod homini nocumentum. Nam sicut in illis verbis dixit Deus: *Non occident,* ita etiam dixit: *Non nocebunt.* Itaque juxta istam sententiam: nec rex, nec Imperator, neque alia quævis potestas posset hominem sceleratissimum, ob quantumcumque gravissima crimina occidere, neque flagellare, & bestialitas, quæ cum indigna sit, ut rationibus contra illam agatur, igne, & morte de medio tollenda esset. Sed opus est, ut verum, & germanum illorum verborum Esaiâs sensum ostendamus, & inde aperius evadet, quam longe verba illa Esaiâs à scopo præsentis disputationis absint. Illa Esaiâs verba nullam præceptum, nullamque prohibitionem continent, sed promissiones quædam sunt illorum bonorum, quæ post Christum in carnem adventum, Deus suæ daturus erat Ecclesiæ. Et (ut quod dicimus aperius ostendamus) verba quæ præcedunt repetere oportet: quoniam circumstantia scripturarum est, quæ maxime solet verum illarum manifestare sensum. Quæ autem proxime præcedunt, hæc sunt. *Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed judicabit in iustitia pauperes, & arguet in equitate pro mansuetis terra. Et percussit terram virga oris sui, & spiritu laborum suorum interficiet impium, & erit iustitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorum renune ejus.* Hæc omnia Esaiâs verba nemo est Catholicus, qui non interpretetur illa de Christo salvatore nostro: quoniam omnes sacri doctores illa tribuunt Christo redemptori nostro. Et Paulus istorum verborum partem in secunda ad Thessalonicenses Epistol. cap. 2. de eodem interpretatur. Post hæc autem verba statim Esaiâs Propheta subiungit multa bona, quæ nobis per Christum donanda erant, sic inquit: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit. Vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Vitulus, & ursus pascuntur, simul requiescent catuli eorum. Et leo quasi bos*

*comedet paleas. Et delebitur infans ab ubere super foramina aspidis, & in caverna Reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet. Non occident, & non nocebunt in universo monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.* Hæcenus Esaiâs. Quæ illius verba constat esse promissiones eorum bonorum, quæ per Christum redemptorem nostrum generi humano donanda erant, & non præcepta. Sicut enim per illa verba non præcipitur nobis, ut habitare faciamus lupum cum agno, & pardum cum hædo: ita etiam per illa verba non præcipitur nobis, ut non occidamus, aut non noceamus. Nam ejusdem conditionis sunt omnia illa, quæ eodem contextu sunt in illa præfata littera connexa, ita ut omnia illa promissiones dicantur, aut præcepta. Cum autem dicit: *Non occident, & non nocebunt in universo monte sancto meo,* non de hominibus: sed de venenosis illis serpentibus videlicet aspidem, & regulo, quos proxime nominaverat, loquitur. De regulo siquidem, & aspidem promittit, quod non occident, & non nocebunt in universo monte sancto suo. Quæ verba nequaquam juxta solam litteræ superficiem: sed juxta spiritualem sensum sunt accipienda: si quis vero mihi in hac parte non fidei, audiat Beatum Hieronymum, qui in commentariis super Esaiâs Prophetam præfatis omnes Esaiâs promissiones interpretans, sic ait: „ Hæc quoque Judæi, & nostri Judaizantes juxta litteram futura contendunt, „ ut in claritate Christi quem putant in fine mundi esse „ venturum, omnes bestias redigantur in mansuetudinem, & pristina feritate deposita lupus, & Agnus „ pascantur simul, & cætera cum cæteris, quæ nunc „ videmus sibi esse contraria. Et post pauca subdit, Sed „ & hoc eos interrogemus, quid dignum sit Domini manibus, ut lupus, & agnus pascantur simul, & parvulus mita manum suam in foramine aspidum? „ Nisi forte juxta fabulas poetarum, aureum nobis Saturni sæculum restituerit, in quo lupi, & agni pascuntur simul, & mælo vino plena current flumina, & de foliis arborum stillabunt mella dulcissima, lacteis, que fontibus omnia complebantur. Et aliquibus interjectis, subiungit: Hæc breviter diximus, ut Judaizantes nostros gravissimo somno sterere convincamus. Cæterum juxta vivificantem spiritum facilis est intelligentia. Et tandem spiritualem reddens intelligentiam, hæc ait: Qui autem ablactatus est, & nequaquam lacte nutritur infantæ: sed jam solido vescitur cibo, iste in reguli cavernam mittet manum, hoc est, in ipsius Satanæ habitaculum, & inde eum extrahit. Unde & Apostolis potestas data est, (Luc. 10.) ut calcarent super serpentes, & scorpiones, & super omnem fortitudinem inimici. Nocere autem, & occidere nequaquam poterunt venenata prius animalia, eos qui habitaverint in monte sancto Dei, quod interpretatur Ecclesia, de quo in Evangelio dicitur: (Matth. 5.) *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Hæcenus Hieronymus. Ex cuius verbis aperissime constat, illa Esaiâs verba, quæ nobis objicit ille Lutheranus Otho, nihil prorsus continere, quod ad hæreticorum punitionem, vel ex longinquo pertineat. Obsecro te nunc lector, ut consideres qualibus scripturæ testimoniis hæretici Lutherani suas hæreses probare nitantur. His etenim, & aliis ejusdem notæ testimoniis plebem indoctam decipiunt, & in pestilentissimos trahunt errores.

Tertio nobis objicit illud, quod Salvator noster de

fratre in nos peccante, qui semel & iterum admonitus emendationem negligit, apud Matth. cap. 18. ait: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Quibus verbis excommunicandi potestatem dedit Ecclesiæ, non occidendi: injuste ergo (ait ille Otho) occiduntur hæretici. O bellum argumentum! quod non semel tantum, sed iterum pluries peccat. Primo quidem notissimum est omnibus, qui vel parum aliquid dialecticam gustarunt: ineptum esse modum argumentandi per locum ab auctoritate, negando, veluti si quis argumentetur hoc modo: Christus Salvator noster non dixit Feria secunda jejunandum esse, aut orandum, aut studendum Sacre Scripturæ: ergo nullum istorum ille die agere licet. Nam si collectio istius argumentationis valida esset, & efficax, eodem modo ex opposito colligere liceret: sic argumentando: Christus Redemptor noster non dixit Feria secunda non esse jejunandum, aut non orandum, aut non studendum Sacre Scripturæ: ergo nullum istorum illo die omittere licet. Itaque eodem argumentationis loco duo contradictoria probantur. Quia sicut Christus Salvator noster unum non præcepit, ita neque præcepit alterum. Talis est præsens argumentatio, quæ Otho arguit hæreticum non esse occidendum: quia Christus non præcepit occidere: sed excommunicare. Hæc est Lutherianorum dialectica, quæ sæpissime utuntur, credentes hujusmodi fallacis totum decipere mundum: sed frustra mittant ree ante oculos pennatorum. Eodem modo etiam peccant, quando ex dictis Pauli ad Titum, cap. 3. sic arguunt: Paulus dicit, ut hæreticum hominem post unam & alteram correptionem devitemus: non autem, ut occidamus. Fateor hoc non dixit Paulus: sed nec etiam prohibuit, ut non occiderentur, ac propterea inde nec unum, nec alterum colligere licet. Eandem fallaciam committunt in aliis multis argumentationibus, quas pro hac re faciunt, præsertim cum ex illo Salvatoris verbo arguunt, quo ait: (Matth. 16.) *Caveat a fermento Phariseorum.* Non dicit: Occidite hæreticos phariseos: sed solum dixit, ut eaveremus ab illis. Quibus ego respondeo, quod si non dixit: Occidite, neque etiam dixit: Non occidite. Deinde adhuc iterum peccat in præfato argumento: quia & si illa collectio esset bona ab auctoritate negative, nihil inde plus colligi posset, quam quod Ecclesiastica potestas hæreticum occidere non posset. Quia illa sola est, & non potestas laica, cui tunc Christus loquebatur, & cui dedit excommunicandi potestatem. Per hoc ergo, quod dans potestatem excommunicandi, subticuit potestatem occidendi: solum colligi potest (si tamen collectio esset bona) eam potestatem, quæ potest excommunicare, non posse occidere. Quod licet multi Catholici negare contendant, qui utrumque gladium tribuunt Ecclesiæ, ipsa tamen Ecclesia opere ostendit se unum tantum habere gladium. Quia solum gladium exercet spirituale, reliquum in vaginam recludens. Nam Ecclesiastici judices non occidunt hæreticos: sed laica potestas, quæ gladium corporalem, juxta dictum Pauli, (Rom. 13.) *non sine causa portat,* illos jubet occidi. Neque ullam est in toto jure Pontificis decretum, quod hæreticos jubeat occidi: sed tantum jubet illos potestati seculari tradi, ab illa, pro suo arbitrio judicandos. Verum hic occurrit nobis Lutherani dicentes: Episcopi, & alii hæreticorum inquisitores similes sunt Sacerdotibus Judæorum, qui cum mortis Christi Salvatoris nostri re vera essent auctores: Pilato tamen Judæi Præsidi dicebant: (Joann. 18.) *Nobis non licet interficere quemquam.*

Tales per omnia (ut Lutherani dicunt) se exhibent hæreticis judices Ecclesiastici. Hi enim (ut Lutherani calumniantur) auctores sunt mortis hæreticorum, & tamen dicunt illis non licere interficere hæreticos, ac propterea tradunt illos potestati seculari, ab illa ad mortem condemnandos. Sed re vera hic, sicut alibi sæpe falluntur, & affectu maligno obæccati miserime errant. Ut autem omnibus notum faciam, quam invidiose illi contra Inquisitores, & alios judices Ecclesiasticos loquantur, opus est, ut aperissime ostendam latissimum esse discrimen, ac proinde ineptam esse similitudinem inter Ecclesiasticos hæreticorum judices, & Judæorum Sacerdotes. Pharisei, & alii Judæorum Sacerdotes, quamvis manibus non occiderunt Christum Salvatorem nostrum, tamen occiderunt cum lingua, multis variisque modis illius mortem procurantes. Nam primo (ut Joannes Evangelista testatur, cap. 11.) *Collegerunt Pontifices & Pharisei concilium dicentes: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit?* Et tandem dato per Cayppham anni illius Pontificem consilio, quod expediret Christum mori, ne tota gens periret, illius consilio acquieverunt cæteri, & ab illo die cogitaverunt interficere Christum omnium Redemptorem. Deinde tradiderunt illum Pilato, & coram illo ad mortem Christum accusarunt: & quia veris hoc agere testibus non poterant, falsos induxerunt testes qui, contra Christum falsum dicerent testimonium, Pilatus in super cum causam Christi examinasset, velletque illum dimittere, quia nullam inveniebat in eo mortis causam, dixit populo: *Quem vultis dimittam vobis Barrabam, an Jesum, qui dicitur Christus? His auditis Princeps, & Seniores (ut Matthæus refert, cap. 27.) persuserunt populo ut peterent Barrabam, Jesum vero perderent.* Rursum cum Pilatus flagellatum Christum, & coronam spineam in capite portantem, vesteque purpurea indutum populo ostenderet, ut vel sic populum ad illius misericordiam provocaret: *Pontifices, & ministri (ut Beatus Joannes Evangelista narrat, cap. 19.) clamaverunt dicentes: Crucifige, crucifige eum.* Post hæc Pilato dicenti Sacerdotibus, & populo ut ipsi Christum acciperent & crucifigerent: Responderunt Judæi: *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori quia filium Dei se fecit.* Deinde, cum Pilatus quereretur Christum liberum dimittere. Judæi clamaverunt dicentes: *Si hunc dimittis, non es amicus Cesaris, Omnis enim qui se regem facit contradicit Cesari.* Denique sedente Pilato pro tribunali: cum ille Christum populo ostenderet, diceretque: *Ecce Rex vester.* Judæi (inter quos sine dubio fuerunt Sacerdotes) clamabant: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Et cum diceret eis Pilatus: *Regem vestrum crucifigam?* Responderunt Pontifices: *Non habemus Regem nisi Cesarem.* Videte obsecro, & diligenter attendite, quoties Sacerdotes Christi mortem coram iudice petierunt: nec tamen leviter, sed importune nimis iudicem urgentes, populumque ad idem ipsum postulandum vartis mendacis seducentes. Propter quæ omnia merito illi Christum Salvatorem nostrum crucifixisse censentur: quia & si manibus non crucifixerunt: hoc tamen consilio suo fecerunt. Et hoc modo Beatus Augustinus concordat dissonantiam, quæ videtur esse inter Evangelistas, quorum alter dicit Christum crucifixum esse hora tertia, alter hora sexta. Nam Judæi (ut Augustinus ait) occiderunt Christum hora tertia, tot talibusque verbis (ut diximus) mortem illius procurando: milites vero occiderunt manibus hora sexta. Videamus nunc an aliquid horum faciant cum hæreticis inquisitores, aut alii judices Ecclesiastici.

non est propria iusti belli conditio, sed communis ad omne opus bonum. Nullum enim opus bonum dici potest, si illud prava intentione fiat. Hæc tamen operis malicia, non ab opere ipso oritur, sed ab ipso operante, qui id, quod bonum est, male operatur. Quo fit, ut quum de iustitia alicuius belli inquiratur, id solum sit investigandum, quod est ipsi bello intimum, & connaturale; non autem id, quod est illi adventitium. Ultimum, quod in bello iusto dicitur esse requisitum, est, ut persona, quæ bellum gerit, non sit bellare prohibita. Nam qui sic prohibitus pugnaret, eo ipso peccaret contra prohibitionem faciens, & sic bellum alicui iustum ipse iniustum faceret. Ecclesiasticis personis publico decreto est bellum interdictum; nam Concilium Toletanum tale de hac re statuit decretum. Clerici, qui in quacunque factione arma volentes sumperint, reperti, amisso ordinis sui gradu, in monasterio perenniter tradantur. Hæc Concilium Toletanum. Et Concilium Meldense à Gratiano citatum 23. q. 8. sic ait: Quicumque ex clero videntur esse, arma militaria non sumant: nec armati incedant, sed professionis suæ vocabulum religiosi moribus, & religioso habitu præbeant: quod si contempserint, tamquam sacræ canonum contemptores, & ecclesiasticæ auctoritatis prophanatores, proprii gradus amissione mulcentur, quia non possunt simul Deo, & sæculo militare. Hæc ex Concilio Meldensi. Sed hic admonere oportet lectorem, ut non putet ideo bellum personis ecclesiasticis esse interdictum, quia illud in se malum sit, sed ob hoc solum, quia bellum talibus personis non congruit: propterea quia illæ ad aliud melius exercitium deputatæ sunt, cui bellum aperte repugnat. Sunt enim aliqua bona simpliciter, & absolute, quæ tamen aliquibus bona non sunt. Bonum siquidem est contrahere matrimonium: his tamen, qui castitatem voverunt, bonum non est. Verum licet personis ecclesiasticis sit prohibitum bellare, non est tamen illis interdictum bellis iustis interesse, ut iuste pugnantis spiritualiter subveniant, pro eis orando, eos ad virtutem exhortando, & suorum peccatorum confessiones audiendo. Nam in lege veteri mandavit Deus Josue, ut in bello contra Jericho sacerdotes sacris buccinis clangeret (*Josue 6.*) Est hic insuper annotandum, quod hæc belli iusti conditio si desit in persona aliqua particulari, quæ bello miscetur publico, & communi, licet valeat reddere bellum iniustum quoad ipsam personam particularem, non tamen ob hoc bellum ipsum publicum dicitur iniustum. Quoniam à pluribus, & non à paucioribus sumendum est belli nomen; nisi forte ipse, cujus auctoritate bellum indictum est, personas, quibus est bellum à jure prohibitum, circa communem necessitatem ad bellum ire coegerit, aut sciens permisit. Tunc enim ipse, qui bellum movet, peccat, & hæc ratione bellum iniustum facit: non quidem propter iniustitiam, quam hosti inferat, sed quam reddidit Ecclesiæ, contra illius prohibitionem personam ecclesiasticam ad bellum mittendo. Ecce jam declaravimus omnia, quæ ad bellum iustum censentur esse requisita; quæ omnia non solum de bello publico, & communi, sed etiam de bello privato sunt intelligenda. Ita ut illa omnia etiam in bello privato sint exigenda, ut iustum illud dici valeat, quæ diximus esse requisita ad belli publici iustitiam. Lectorem tamen hoc loco admonere decrevit, ut intelligat nos hic non loqui de bello defensivo, quo quis se ab alio iniusto invasore defendit, sed de bello illo, quod quis primo contra alium movet. Nam in bello

defensivo, sive publicum illud sit, sive privatum, non est expectanda auctoritas: quia hæc omnibus à natura concessa est, ut se ab iniusto invasore defendant. Quia ut dicitur in cap. Significasti, extra de homic. volunt. vel casuali. Vim vi repellere, omnia jura concedunt. Et hinc apparet, quum iniuste Sylvester de Prierio in sua summa, in titulo Bellum, r. quæst. r. reprehendat Summam Angelicam, propterea quod dixerit eadem esse requisita ad bellum iustum privatum, quæ requiruntur ad bellum iustum publicum. Nam quod ille arguit clericum iniuste invasum se defendere, & privatum hominem iniuste invasum sine superioris licentia posse se defendere, hoc idem argui potest de civitate iniuste invasa quæ sine Principis auctoritate, potest movere bellum, ad hoc solum, ut se ab iniusto invasore defendat. Quo fit, ut sicut privata persona non tenetur expectare Principis auctoritatem, ut se iuste defendere possit, ita etiam quævis Respublica non tenetur expectare Principis auctoritatem, ut ab iniusto invasore se iuste defendere possit, præsertim si ex tali expectatione imminet Reipublicæ periculum. Et ideo, ut hæc inconvenientia vitaremus, diximus ea, quæ ad bellum iustum requiruntur, non esse intelligenda de bello defensivo, sed de bello quo quis alium aggreditur.

His ergo omnibus jam declaratis, opus est, ut principali quaestioni respondeamus, & ostendamus licitum esse hæreticos bello oppugnare postquam de illorum pertinacia, & rebellionem confiterit. Quod facile efficiemus, si ostendamus ea omnia in huiusmodi bello adesse, quæ ad iustum bellum diximus esse requisita. De duobus ultimis non est opus differere, quoniam illa duo (ut diximus) sunt adventitia, & extrinseca ipsi bello. Quo fit, ut malitia, quam ob illorum defectum bellum habuerit, non sit ex natura & proprietate ipsius belli, sed ex sola pugnantis malitia, ut puta quia malam ille habuit intentionem, aut quia est illi pugnare inierdictum. Et si quis de his duabus belli conditionibus contendere voluerit, supponamus eas in hoc bello esse, quæ in omni bello possunt adesse, & absesse. Nam bellum contra hæreticos bona intentione movere, quis vetat? Bona siquidem est intentio, velle hæreticos ad fidem convertere, & eos cogere, ut fidem, quam semel in baptismo susceperunt, tueri cogantur: quod multos timore malorum, quæ per bella inferuntur, fecisse cognoscimus. Bona intentio est, velle fidem Catholicam exaltare, & dilatare, quam hæretici sua pertinaci rebellionem facile coangustabant, nisi bello coerciti à suis pestilentibus erroribus, respiciant. Bona intentio est velle rebelles, & inobedientes cogere, ut debitam cui tenentur obedientiam reddant. Hanc autem, aut aliam quæ bonam fuisse in prædicto bello Caroli Cæsaris intentionem, ipse belli exitus tam aperte ostendit, ut quisquis recte illum considerare voluerit, nisi fuerit edaci livore corruptus, aperissime cognoscere valeat. Nam postquam Cæsar (Deo favente) est victoria potius, non exaruit in vindictam hostium. Tantam post victoriam adeptam ostendit hostibus lenitatem, & mansuetudinem, ut Joannem Federicum Saxoniam ducem, & Philippum Lantgrævium Hælsæ, qui multis Germaniæ populis contra ipsum Cæsarem rebellare pertuaerunt, & exercitum immensum congregantes, audaci temeritate eundem Cæsarem aggressi sunt, in castra illius tormenta bellica sæpe iacientes, pœna capitis, quam iuxta leges pati merebantur, punire noluit; sed vitam, quæ erant indigni, illis misericorditer concessit. Cum multa

ex Germaniæ civitatibus his Ducibus conjunctæ contra Cæsarem vexilla levassent, nullam tamen illarum Cæsar in directionem dedit. Nullarum, quæ culpam agnoscens veniam petiit, hucusque nocuit; sed omnibus illis clementissimus Imperator indulgentiam concessit. Si fuissent in Cæsare ea, quæ (ut Augustinus ait) vitare solent iustum belli intentionem, videlicet nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, animus implacabilis, his qui suam majestatem gravissime læserant, postquam illos in sua potestate receperat, non tam facile, & cito pepercisset. De altero, quod ad belli iustitiam exigitur, non est, quod iuste quis contendere possit. Cum sit res toti orbi notissima, Cæsarem non ecclesiasticas personas, sed laicas ex multis & variis Provinciis, videlicet, ex Germania, Hispania, & Italia congregasse, ut Germanos Ecclesiæ Catholicæ, & sibi rebelles debellaret. Restant alia duo discutienda, quæ potissimum ad belli iustitiam exiguntur, videlicet, auctoritas, & causa. De auctoritate nullus, nisi profusus ignarus, & mentis inops, dubitare potest. Quoniam si belli indicendi auctoritas apud hominem alicquem est, nullus est, qui illum certiorum, & majorem habeat, quam Imperator, qui solus vere nascitur in huiusmodi temporalibus superiorum. Hic enim est (ut Innocentius Papa ait) luminare minus, quod præest nocti. Superest igitur, ut de causa investigemus, quam si ostenderit iustam; inde aperte convincemus, iustum esse, ut hæretici pertinaces bello oppugnentur, pessimeque sentire eos, qui Carolum Cæsarem propter huiusmodi bellum accusabant. Si aliquis ex iustis belli causis, quas supra recensuimus, ad memoriam revocare volumus, multas inveniemus, quæ hoc bellum iustum esse aperte demonstrant. Iustum belli causam secundo loco supra collocavimus recessum à vero Dei cultu. At hæretici, qui de Deo, aut sponsa ipsius Ecclesiæ non credunt, quæ credenda sunt, Deum vere, & ut oportet, deserere noluerint, iuste debellari possunt. Altera iusti belli causa, quam octavo loco recensuimus, est, si quis rebellet adversus superiorem, cui reverentiam integram præstare tenetur. Et certe ex hac etiam ratione aperitissime convincitur, iustum esse bellum, quod adversus pertinaces hæreticos geritur. Nam hæretici omnes sunt aperte rebelles Ecclesiæ sanctæ Catholicæ, cujus doctrinam omnes fideles suscipere tenentur. Hæretici autem superbia excæcati propriam sententiam præferunt doctrinæ sanctæ Matris Ecclesiæ, & ideo ut suam sententiam teneant, non dubitant doctrinam Ecclesiæ Catholicæ contradicere, & illius præcepta contemnere. Ideo Job de hæreticis loquens, sic ait cap. 24.: *Rebelles fuerunt luminari, insecerunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus.* Quæ verba Beatus Gregorius in Moralibus, de hæreticis intelligenda esse censet. Præterea, hæretici pertinaces (ut supra libri iustici cap. tertio aperte probavimus) iuste puniendi sunt. Et capite duodecimo ejusdem libri ostendimus, mortis supplicio illos, si respicere nolint; esse puniendos. Et inde aperitissime sequitur, ut si illi huic iustæ punitioni resistere velint; Princeps, cujus ditioni subdantur, iuste ob hoc possit bellum adversus illos movere. Nam qui prænam iustam ex Principis mandato decretam, subire recusat, & ne illam paritari Principi resistit, rebellis est. Quam rebellionem, iustam esse causam belli, jam supra ex sacre scripture testimonio, & ex beati Augustini sententia, aperte ostendimus: Rursum, si hæreticus pertinax iuste est ad mortem damnandus, nec

refert (ut capite duodecimo libri hujus ostendimus) qua morte, gladio videlicet, aut igne, aut aqua, aut quovis alio modo mors illi inferatur; consequens est, ut iustum sit, hæreticos pertinaces, & rebelles bello oppugnare, ut pereant, & sic illos, ut erant meriti, Princeps morte multare possit. Nam hac ratione bella per Moysen gesta, quæ omnia Faustus Manichæus accusabat, beatus Augustinus defendit; propterea quod per illa mortem, his, qui alias erant meriti, Deo jubente infligebat. Sic enim libro vigesimo secundo contra Faustum Manichæum, cap. septuagesimo quarto, loquens, ait: „Nec bella per Moysen gesta miretur, aut horreat, quia & in illis divina sequutus Imperia, non sæviens, sed obediens fuit: nec „Deus cum jubebat ista, sæviebat, sed digna dignis retribuebat, dignoque terrebatur.“ Hæc ille. Simili igitur modo Cæsar, aut quisvis alius Princeps, cum bellum adversus hæreticos pertinaces, qui jure sibi subduntur, movet, non est dicendus sævire, sed digna dignis retribuere, dignosque terrere. Denique postquam Principum colla se Christo subdiderunt, sæpe Pontifices sancti, & docti ipsos Principes hortati sunt, ut bellum contra pertinaces, & rebelles hæreticos moverent, & sic illorum obstinatam nocendi libidinem comprimerent. Nec solis exhortationibus ad bellum fuerunt contenti Summi Pontifices, sed omnibus, qui cruce signati ad bellum contra hæreticos procederent, pœnarum, quæ pro peccatis debebantur, sæpe indulgentiam concesserunt, ut vel tam magno præmio militis allecti libentius ad bella processissent. Beatus Gregorius libro primo Epistoliarum suarum, Epistola 72. Gennadio Patrio, & Exarcho Africa scribens, ad bellum contra Donatistas hæreticos hortatur, sic inquit: „Sicut excellentiam vestram hostilibus bellis in hac vita Dominus victoriarum fecit luce fulgere, ita oportet eam inimicis Ecclesiæ ejus, omni vivacitate mentis, & corporis obviare: quatenus ejus ex utroque triumpho magis, ac magis enitescat opinio, quum & forensibus bellis adversariis Catholicæ Ecclesiæ vehementer obstinatis, & Ecclesiastica prælia sicut bellatorum, res Domini fortiter dimicatis. Notum est enim hæreticæ religionis viris, si eis (quod ab illi) suppetit nocendi licentia, contra Catholicam fidem vehementer insurgentes: quatenus hæreticos suæ venena ad tabefacienda (si voluerint) Christiani Corporis membra transfundant. Cognovimus enim eos contra Catholicam Ecclesiam Domino eis adversante colla subrigere, & fidem velle Christiani nominis inclinare. Sed eminentia vestra conatus eorum comprimat, & superbas eorum cervices iugo arcitudinis premit.“ Hæc Gregorius, qui aliquibus interpositis, postea Deum orat ut ad huiusmodi bellum gerendum ille Gennadius sit fortis, sic inquit: Perfolventes præterea paternæ charitatis affectum, dominum perimus, quod brachium vestrum ad comprimendos hostes forte efficiat, & mentem vestram zelo fidei, velut mucronem gladii vibrantis excutiat. Hæc ille. Deinde cum Albigenium hæresim, in Francia prope Tolosam oriretur, Innocentius tertius hujus nominis Summus Pontifex, vir moribus, & doctrina clarissimus, postquam illos per rationes, & argumenta, quæ illis multa offerbantur, à suo errore discedere nolle intellexit, armis contra illos (ut Platina refert) agendum esse decrevit. Huic successit in Pontificatu Honorius tertius hujus nominis Summus Pontifex, qui videns hanc Albigenium sectam adhuc in suo errore obstinatam, indulgentias, & peccatorum condonationes (ut beatus Antonius refert) his qui

22. dicens: *Facite iudicium, & iustitiam, & liberate vi-*  
*oppressum de manu calumniatoris.* Inferior ergo, qui supe-  
 riorum habet, ad quem pro recompensatione damni, aut  
 pro vindicta impetranda, confugere potest, iniuste ager,  
 si pro aliquo horum propria auctoritate bellum moverit,  
 quia sic agens Dei praeceptum transgredietur, qui vin-  
 dictam prohibuit. Princeps autem, qui nullum superio-  
 rem in civilibus rebus agnoscit, sicut pro regno, aut re-  
 publica, quam regendam, aut protegendam suscepit,  
 iuste potest bellum movere, ita etiam pro se ipso quatenus  
 persona est communis, & publica: quia non habet  
 superiorem, ad quem pro vindicta impetranda confugere  
 debeat. Hoc enim aperte docet Augustinus contra Faustum  
 lib. 22. cap. 75. sic inquit: „ Odo naturalis mor-  
 talium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi  
 belli auctoritas, atque consilium penes principes sit,  
 exequendi autem iusta bellica ministerium milites de-  
 beant paci, salutique communi. “ Hec ille. Principis  
 autem nomine hic intelligo non solum Imperatorem, &  
 Reges illos, qui Imperatori nequaquam subduntur: sed  
 omnes illos dominos, qui in causis subditorum suorum  
 definiendis plenam habent iurisdictionem, plenumque  
 dominium, ita ut illorum sententia audita, neminem  
 alium superiorem iudicem subditi illorum appellare pos-  
 sint. Tales sunt hodie aliqui Domini in Italia. Ut sunt  
 Dux Florentiae, Dux Ferrariae, Dux Mantuae, Mar-  
 chio Montis Ferrati. Nam hi omnes ex consuetudine an-  
 tiqua hanc habent in suos subditos iurisdictionem, &  
 potestatem, ut ab illorum civili sententia ad nullum alium  
 superiorem, illorum subditi appellent. Et nescio an ali-  
 quibus Germaniae Ducibus, aut Marchionibus, haec aucto-  
 ritas, & potestas belli movendi hodie competat. Cujus  
 dubitationis causa inde mihi oritur, quod eorum quilibet  
 propriam cudit monetam, quod soli superiori Principi  
 iure competit. Sed hoc non obstant, ego censeo hanc po-  
 testatem belli movendi esse illis iure negatam, propterea  
 quod omnes illi subduntur Imperatori: a quo puniri pos-  
 test quicumque illorum alteri injuriam introgaverit, aut  
 damnum dederit. Cujus rei aperitissimum praebet testimo-  
 nium Senatus publicus, qui est in Germania Imperatoris  
 auctoritate suffultus, ad quem ex omnibus Germaniae  
 oppidis confugiunt, quotquot ab aliis dominis se iniuste  
 damnatos esse arbitrantur. Cum igitur omnes illi Impera-  
 torem agnoscant, a quo quicumque illorum potest inju-  
 riae, aut damni recompensationem petere, consequens  
 inde est, ut nullus illorum possit iuste sine Imperatoris  
 auctoritate adversus aliquem alium bellum movere. Quia  
 bellum non nisi necessitate cogente movendum est, ac  
 proinde bellum semper censendum est iniustum, quan-  
 do rei pro qua bellum, geritur aliter, quam per bellum  
 potest commode provideri. De reliquis autem Ducibus,  
 aut Marchionibus, aut reliquis dominis etiam si Principis  
 nomine censeantur, in regno Hispaniae, aut Fran-  
 ciae, aut Neapolis, aut alio quovis regno, sub Regis  
 potestate dominium tenentibus, non est cur aliquis dubi-  
 tare debeat, an bellum sine regis, cui subduntur aucto-  
 ritate, & permissione, movere possint. Nam & si illi  
 suis subditis jura dare possint, & leges: in illis tamen  
 ferendis, Regi sic subduntur, ut nihil contra leges a  
 Rege statutas, decernere possint. Et inde constat eos non  
 esse vere capita provinciarum, aut oppidorum, quibus  
 praesunt, & imperant: ac proinde injuriam facerent Re-  
 gibus, quibus subduntur, si illorum auctoritatem bellum  
 movendo, sibi usurparent, ac si ipsi vera, & suprema

capita in suis dominiis essent. Nominem etiam Principis in  
 littera Augustini supra citata, intelligenda sunt illa res-  
 publica, quae ex antiqua consuetudine plenam habent  
 in terris sibi subiectis iurisdictionem: ita ut nullum alium  
 superiorem agnoscant. Nam tales Respublicas crederem  
 aequae habere belli iudicandi auctoritatem, ac Reges: quia  
 in illis etiam est (ut Aristoteles docet) principatus,  
 quamvis ab eodem Aristotele non aequae laudatus, ut Re-  
 galis. Hoc tamen, quod de Respublicis nunc dicimus,  
 & proxime supra de quibusdam Ducibus, & Marchioni-  
 bus Italiae diximus, haec conditione intelligendum esse  
 censet, & recte. Thomas de Vio Cardinalis. Cajetanus  
 vulgo nominatus, si illi bona fide in pacifica possessione  
 talis auctoritatis belli iudicandi fuerint, & sunt. Nam  
 si illam usurpaverunt ex magnitudine potentiae, ob quam  
 tam audacter suis superioribus rebellaverunt, ut ab illis non  
 potuerint, nec modo possint coerceri, ille censet nullam  
 illos auctoritatem iusti belli iudicandi habere. Cujus sen-  
 tentiae ego libentissime subscribo. Quoniam indecens est,  
 ut quod malae fidei initium habuit possessio sine alia iusta  
 causa succedente, iusta possessione firmetur. Nam (ut  
 regula juris in 6. docet) possessor malae fidei nunquam  
 praescribit. Secundum quod ad iustum bellum diximus  
 esse necessarium, est causa iusta. Causae belli iusti mul-  
 tae, & variae esse possunt, quas omnes generali quadam  
 elocutione Augustinus comprehendit dicens: „ Iustam  
 belli causam esse injuriam illatam, cujus vindictam,  
 cum aliter quam per bellum, Princeps, aut is, pater-  
 nem, quem est belli movendi auctoritas, habere non potest,  
 iuste poterit bello petere. Nam in quaestionibus super  
 librum Josue, quaest. 10. bellum iustum definiens, ait:  
 „ Iusta bella solent definiri, quae ulciscuntur injurias, sic  
 gens, vel civitas plecenda est, quae vel vindicare ne-  
 glexerit, quod a suis improbe factum est, vel redde-  
 re, quod per injuriam ablatum est. “ Hec Augustinus.  
 Et citatur a Gratiano in cap. Dominus 23. quaest. 2. Sed  
 quia dubium esse potest, quid nomine injuriae intelligen-  
 tur, & inde necessario oportebit, ut sententia de iustitia  
 belli, quae ab injuria cognitione pendet, sit etiam dubia,  
 ideo ut omnis dubitationis causa hinc tollatur: decrevi  
 omnes belli iusti causas hic recensere, easque omnes sa-  
 crae scripturae testimonio comprobare, ut nullus de ali-  
 qua illarum iuste dubitare possit, iusta sit, an non. Qui-  
 bus enumeratis inter illas reperimus eam, de qua nunc  
 disputamus, & inde aperte convincemus, iustum esse  
 haereticos rebelles bello oppugnare. Prima igitur belli cau-  
 sa est Idolatria, a qua qui recedere noluerint, iuste ob  
 hoc debellari possunt. Nam ob hanc causam Deus praec-  
 cepit filiis Israel, ut gentes plurimas subverterent, &  
 dissiparent, sic in Deuteronomio cap. 32. inquit: *Sub-*  
*vertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas posses-*  
*suri estis, deos suos super montes excelsos, & colles, & su-*  
*per omne lignum frondosum. Dissipate aras earum, & con-*  
*fringite statim, lucos igne comburite, & idola comminite,*  
*disperditae nomina illorum de locis illis.* Quae omnia Nico-  
 laus Lyranus illo praepcepto esse censet, ne ex phanis, seu  
 templis idolorum remanentibus, occasio idolatrie Judaeis  
 daretur, & ut memoria idolatriae profus tolleretur, &  
 sic tanta Dei injuria in populo suo vitaretur. Et testimo-  
 nio hujus praepcepti divini fretus, ego sentio iustum esse  
 bellum, quod Catholici Hispaniarum Reges contra Bar-  
 baras gentes, & idolatras, quae Deum ignorabant, ver-  
 sus Occidentis, & Austrum inventas, ante aliquot annos  
 gesserunt & nunc etiam gerunt. Hac tamen conditione

bel-

bellum illud iustum esse censeo, si antequam Reges con-  
 tra illos bellum moveant, procurent diligenter, & fide-  
 liter illos monere, ut salutorum deorum cultum deserant,  
 & verum Deum, qui est sanctorum creator, & rector  
 adorent. Hanc autem monitionem, oportet non esse le-  
 vem, & persanctoriam, qualem facere solent homines  
 in rebus parvi momenti: sed oportet esse monitionem ve-  
 hementem & diligentem qualem Paulus Timotheo facere  
 praecipit, sic dicens: *Pradica verbum, in omni oportune, im-*  
*portune.* Quae verba interpretans Theophylactus ait: „ Ve-  
 luti cum immoratione & instantia loqueretur, non semel,  
 sed semper. Non sit tibi statum tempus, sed importun-  
 ne etiam quum in periculis fueris, & extra Ecclesiam  
 loquere & praedica: Et oportune, hoc est, cum in pa-  
 ce & extra trepidationem fueris, & in Ecclesia. “ Hec B  
 ille. Non est igitur satis semel & leviter Indos de Christia-  
 na religione admonere, sed oportet semel, & iterum at-  
 que iterum legem Evangelicam illi annuntiare: & deinde  
 ad illius confirmationem aliquas offerre verisimiles ratio-  
 nes: quarum maxima, praeter miracula, esse solet vita  
 honesta & inculpata eorum qui praedicant. Nam si levis  
 esset praedicator, ut puta quia semel tantum facta, & si-  
 ne ulla suadente ratione, forte illi non tenerentur statim  
 credere, ne leves corde censerentur. Nam Christus Sal-  
 vator de incredulis quibus ipse praedicavit, dixit: *Si ope-*  
*ra non habuerint in eis, quae nemo alius fecit peccatum*  
*non habent.* Et Augustinus dicit. Quod si gentes sine  
 ullo miraculo crediturum legi Evangelicae carnis & san-  
 guinis inimicae, magnum fuisset miraculum. Absurdum  
 autem esset dicere, quod Indi isti in novo orbe reperti,  
 quibus nunquam fuerat annuntiatum Evangelium, te-  
 neantur citius credere, quam illi quibus Christus ipse  
 praedicavit. Deinde oportet monitionem illam esse bland-  
 am, & quae se ostendat ex visceribus charitatis procedere,  
 & non asperam minis & terroribus plenam, quia talis  
 potius coactio quam monitio dicenda est. Unde Beatus  
 Gregorius ait: „ Qui sincera intentione extraneos a  
 Christiana religione, ad fidem cupiunt perfectam per-  
 ducere, blandimentis debent non asperitatibus studere.  
 Nam quicumque aliter agunt, & eos sub hoc velami-  
 ne, ne a consueta sui ritus voluerint cultura removere, suas  
 illic magis quam Dei causas probantur attendere. “ Hec  
 Grego. & citatur a Gratiano in cap. Qui sincera 45. dist.  
 Et Concilium Toletanum ait. De Judaeis autem praecipit  
 sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim in-  
 ferre: Cui enim vult Deus miseretur, & quem vult in-  
 durat. Hec Concilium Toletanum. Quod autem Scho-  
 tus in quarto sent. dist. 4. quaest. ultima dicitur religiose  
 fieri, si principes Christiani cogereat minis & terroribus  
 infideles ad fidem suscipiendam: ego existimo, intelli-  
 gendum esse, de illis solis Principibus, qui infidelibus  
 alias praesunt, quos tanquam sibi subditos regunt, &  
 gubernant. Et hos possunt a suo dominio & ditione re-  
 pellere, & forte alia damna illis inferre, nisi velint iuxta  
 Christianam religionem vivere. Reliquos autem qui alios  
 suo non subiant imperio, non possunt Principes Chris-  
 tianis minis & terroribus cogere ad fidem Christi susci-  
 piendam: sed possunt & debent eos diligenter, & plu-  
 rities, & blande, ut Gregorius docet, monere. Quam mo-  
 nitionem si illi receperint, quamvis baptismum suscipere  
 nolint: non crederem iuste posse bellum contra illos mo-  
 veri. Si autem tali monitioni obtemperare noluerint:  
 sed obstinati in suo errore perseverent praesertim: si  
 verbi Dei praedicationem impediunt, tunc iustum erit,

quod ob hanc causam contra illos geritur bellum.  
 Quia omnes illae gentes ( ut experientia comperitum est )  
 idolatriam exercent, & multa alia contra legem naturae  
 nefanda vitia committunt. Nam quemadmodum Deus  
 olim filiis Israel contra Jebusaeum, & alias idolatras gen-  
 tes fieri praecipit, ita nunc etiam contra has gentes si-  
 millibus vitiis, & criminibus infectas, fieri expedit. Et  
 hoc aperte docet Cyprianus sic dicens. Quod si ante ad-  
 ventum Christi circa Deum colerent, & Idola spernen-  
 da, haec praepcepta servanda sunt, quanto magis post ad-  
 ventum Christi sunt servanda? Hec ille. Et habentur in  
 capitulo. Si audieritis 23. quaest. 5. Si iustum est bellum,  
 ut Augustinus in loco supra citato dicit, quod hominibus  
 ad suas ulciscendas injurias gerunt, multo iustius oportet  
 esse bellum, quod principes Christiani ad vindicandas  
 Dei injurias gesserint: quia magis Deum quam se dilige-  
 re tenentur, & inde consequens est, ut plus pro Dei ho-  
 nore quam pro suo facere possint, & debeant. At maxima  
 inferitur Deo injuria per idololatriam, quoniam per illam  
 supersedimus, qui soli Deo debetur, honor auferitur ab illo,  
 & redditur creaturae, cui minime convenit. Et certe  
 nullum est peccatum, ut sacrae litterae saepe testantur,  
 quod magis iridet Deum, & propter quod Deus magis  
 se offensum fuisse ostendat. Praeterea, si Barbari illi apud  
 novum orbem ab Hispanis inventi blasphemassent Chris-  
 tum & noluisset a blasphemia abstinere, potuissent ob  
 hanc causam principes Christiani ( ut docet sanctus Tho-  
 mas Secunda Secunda, quaest. 10. articulo 8. ) illos bello  
 petere: ergo multo melius possunt illos bello petere  
 propter Idololatriam, quoniam haec multo gravius est  
 peccatum, quam blasphemia. Forte hic aliquis mihi ob-  
 jiciat, quod odium Dei est multo gravius peccatum quam  
 Idololatria, & tamen propter illud non licet contra ali-  
 quem movere bellum. Rursum, si propter Idololatriam  
 licet pugnare contra hos Barbaros, ergo propter adulter-  
 ria & furta, & alia id genus peccata possit bellum adver-  
 sus illos moveri: & inde ultra sequeatur ut etiam possit  
 bellum moveri contra Christianos propter similia peccata,  
 quamvis illi qui bellum movent non fuerint per talia pec-  
 cata laesi: quia per illa peccata etiam inferunt Deo inju-  
 ria: quamvis non ita gravia, & Deus per illa se ab ho-  
 minibus offensum esse declarat. Respondeo quod licet  
 odium Dei sit multo gravius peccatum quam Idololatria,  
 tamen quia non ita hominibus patere potest, propterea quod  
 in abscondito mentis latet, ideo non potest iuste ab homi-  
 nibus puniri, nec ipsi Dei oses possunt propter illud  
 ab hominibus debellari. Nam ( ut ait Salomon ) qui in-  
 dicat quae novit, iudex iustitiae est. Alia autem peccata  
 estis graviora sunt, & hominum oculis pateant, non tamen  
 praebent causam sufficientem, ut propter illa bellum con-  
 tra illorum auctores moveri possit. Quia estis Deus per  
 illa graviter offendatur, ipse tamen Deus qui offensus est,  
 non concessit Principibus facultatem, ut propter illa bel-  
 lum contra illorum paratores a quibus non sunt laesi ge-  
 rere possent, prout concessit illis contra Idololatrias  
 verbis illis ex Deuteronomio citatis. Sed huic argumen-  
 to forte aliquis Indorum patronus respondebit, quod  
 Deus in illis verbis ex Deuteronomio citatis non praeci-  
 pit fieri bellum contra Amorrhaeos, & alias sex nationes  
 propter illorum Idololatriam: sed quia Deus terras eorum  
 promiserat Abraham & semini ejus post eum. Hec tamen  
 responsio nihil profus minuit vim argumenti. Nam quum  
 Deus promissit terram illam Abraham & semini ejus, jam  
 tunc decreverat illam tollere ab Amorrhaeis propter ini-

qui-

quitates eorum, & postquam statuerat auferre ab illis indignis possessioribus, tunc promisit Abrahæ se daturum illi terram illam. Prius certe oportebat auferre ab illis, quam daret aliis, quia prius datura est corruptio unius quam generatio alterius. Numquam autem Deus statuisset tollere terram illam ab Amorrhæis, nisi peccata illorum prævisa hoc exegissent, quia numquam (ut Augustinus ait) Deus est ultor, nisi prius aliquis sit peccator. Et hoc ipsamet Dei verba, quibus Abrahæ, & semini ejus promisit terram illam, manifestissime declarant. Hæc enim ait illi Deus. Scito prænosens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subjicient eos seruituti, & affligent quadragenis annis. Verumtamen gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo: & post hæc egredietur cum magna substantia. Tu autem ibis ad Patrem tuos in pace, sepultus in senectute bona. Generatione autem quarta revertentur huc, necdum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus. Ex his ultimis verbis apertissime convincitur Amorrhæos propter suas iniquitates privatos esse à Deo terra sua. Sed multo apertiora sunt, quæ habentur in Deuteronomio cap. 9. Ne dicas (inquit Moyses) in corde tuo cum deleverit eos Dominus Deus tuus, ut terram hanc possiderem: cum propter impietates suas ista deleat sint nationes. Neque enim propter iustitias tuas, & æquitatem cordis tui ingredieris ut possideas terras eorum: sed quia illæ egerunt impie, introeunte te deleatæ sunt, & ut completeret verbum suum Dominus quod sub juramento pollicitus est Patribus tuis Abraham, Isaac & Jacob. In quibus verbis apertissime dicitur nationes illas deletas esse propter suas impietates. In illis autem verbis quæ subdit: Et ut completeret verbum suum Dominus: Illa conjunctio (ut) non denotat causam, sed consecutionem effectus, prout sæpe capi solet in sacra Scriptura. Lex subintravit (inquit Paulus) ut abundaret delictum. Abiit ut quis de Deo ita sentiat. Sed dedit eam Deus, ut per eam homines fierent boni & iusti: at tamen non ita factum est, immo è contrario data lege, homines abundarunt in delictis, quia veritas magis concupiverunt. Est aliud simile apud Joannem ubi ait. Facta enim sunt hæc ut scriptura impleteret: Os non comminuetis ex eo. Certe non fuit causa quare facta sunt illa, adimpletio scripturæ. Immo potius è contrario ideo scriptura prædixit, quia ita futurum erat. Nam alias casualis & fortuita videretur illa prædictio scripturæ & non prognostica. Sensus ergo, quem Joannes in illis verbis intendit, est quod factis illis rebus impleta fuit scriptura dicens: Os non comminuetis ex eo. Idem per omnia dicendum est de illa promissione Abrahæ, quod deletis gentibus suis propter impietates suas, Deus dedit populo Israel terras illas quas Abrahæ promiserat, se daturum semini ejus. Si quis autem contendere velit conjunctionem illam (ut) non dicere illo loco consecutionem effectus, sed veram causam, ego ob hoc nolo contendere: dicam tamen tunc quod ex littera ipsa constat, duas ibi explicari causas propter quas nationes illæ deletæ sunt. Prima & potissima est impietas ipsarum nationum. Altera quæ ex ista pendet, & est ista posterior, est impletio promissionis divinæ. Prima ergo, quia prior potest, per se sine posteriore subsistere. Secunda iusti belli causa est, recessus à vero Dei cultu, ita ut si populus aliquis verum Deum agnoscens, & illum (ut decet) colens, hunc talem Dei cultum desereret, & alteri, cui non debetur, tribueret: iuste ob hoc possit bello oppugnari ab eo, qui belli movendi auctoritatem habet. Nam Deus olim filiis Israel

præcepit, ut civitatem, quæ in hoc incidisset crimen, bello delerent, sic in Deuteronomio inquit: (Deut. 13.) Si audieris in una urbium tuarum, quas dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: Egredere tuis filiis Belial de medio tui, & averterent habitatores urbis sue, atque dixerunt: Eamus, & serviamus Diis alienis, quos ignoratis: quare sollicitus, & diligenter rei veritate perspecta, si invenieris certum esse, quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam: statim percutes habitatores urbis illius in ore gladii, & delebis ea omnia, quæ in ea sunt usque ad pecora. Quicquid etiam suppellectilis fuerit, congregabis in medio platearum ejus, & cum ipsa civitate succendes, ita ut universa consumas Domino Deo tuo, & si tumulus semper fuerit. Non edificabitur amplius, & non adhererit de illo anathemate quicquam in manu sua, ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, & miseretur tui. Hæc tamen Dominus Deus in Deuteronomio. In quibus verbis præter cætera id annoandum est, quod ultimo dixit. Ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, & miseretur tui. Nam per illa verba docemur crimen illud tam grave esse coram Deo, ut propter unam solam civitatem illo crimine infectam, sæpe ira Dei provocetur contra totum regnum: præsertim si negligatur puniri tale peccatum. Propter hanc causam omnes filii Israel convenerunt in Sylo, (Iosue 22.) ut pugnarent contra tribum Ruben, & tribum Gad, & dimidiarum tribum Manasse. Audierant enim filii Israel illos edificasse altare in terra Chanaan juxta Jordanem: putaveruntque illos ad hunc finem edificasse altare, ut in illo diis gentium hostias, & victimas offerrent. Ut autem à nuntiis, quos ad illas tribus ob hanc rem miserant, plene edocti fuerunt, aliter se rem habere, quam ipsi putaverant, abstinuerunt à bello quod contra illas tribus facere decreverant. Sed hic advertere oportet, quod quamvis hæc de qua nunc agimus, sit iusti belli causa, non tamen propter illam licet cuilibet adversus hujusmodi recedentes à vero Dei cultu bellum movere, sed hoc illi soli concessum est, qui istis sic recedentibus alias ut supremus illorum Dominus imperabat. Nam sicut iste solus est qui jure illos punire potest, ita etiam solus ille est, qui auctoritate sua potest bellum adversus illos movere.

Tertia iusti belli causa est, quum quis alium impedit, ne id quod sibi jure debetur, assequatur. Ideo Julius Cæsar apud Lucanum optime mihi dixisse videtur. Arma tenenti, Omnia dat, qui iusta negat.

Quæ verba ideo Cæsarem dixisse constat, ut belli, quod contra Romanam rempublicam movebat, justam ostenderet causam: propterea quod aditum ad Romam, qui sibi tamquam vero civi, & bene de Repub. merito, jure debebatur, senatus, populisque Romanus, illi impedire moliebatur. Sed prophanis exemplis prætermisissis, sacrum exemplum, quod multo majoris est roboris proferamus. Filii Israel (ut liber Numerorum cap. 21. testatur) pugnaverunt contra Seon, & Og Reges Amorrhæorum, propterea quod illis permittere noluerunt, ut per terram illorum transirent, quamvis filii Israel eidem Amorrhæis fide jubebant se non declinatos in agros, aut vineas eorum, nec bibituos aquas ex puteis eorum: sed via Regia incesuros, donec transirent terminos eorum. Quam historiam pertractans Augustinus in quæst. super librum Numerorum quæst. 43. ait: „Notandum est sane quemadmodum iusta bella gerantur, Innoxii enim transitus negabatur, qui jure humana societatis æquissimo patere debebat.“ Hæc ille.

Quar-

Quarta belli iusti causa est, cum propria res petitur, quæ per vim, & violentiam ab hoste detinetur, nec aliter quam per bellum recuperari potest. Propter hanc enim causam per mortuo Saule, David bellum gessit contra Isobeth filium Saulis, qui occupare nitebatur Regnum Israel, quod per Samuelem Prophetam Deus jam Davidi concesserat. (2. Reg. 2.) Quinta iusti belli causa esse potest sui ipsius, ut subditorum Principis defensio. Nam sicut sui ipsius defensio jure cuique concessa est, ita etiam defensio eorum, qui Principi subduntur, jure conceditur Principi, propterea quod sicut quisque sui, ita Princeps suorum omnium curam gerit. Et si illi ab hoste vexantur, iuste potest Princeps pro illorum tutela bellum contra hostem movere, ut illum à vexatione subditorum suorum abstinere cogat. Nam (ut jura testantur) vim vi repellere licet. Hæc enim præcipua est causa, propter quam David tot bella contra Philisteos gessisse sacra perhibet historia. Propter hanc etiam causam, & propter proxime præcedentem, filii Israel Ducibus Machabæis sæpe contra Antiochum, & Demetrium Reges feliciter pugnaverunt.

Sexta iusti belli causa est, contra eum qui hosti iniuste persequenti favet. Nam sicut hostem iniuste persequentem propulsare licet, ita etiam illum, per quem hostis potentia augeat, deprimere licet, ut illo depresso, & humiliato, hostis potentia minuat. Ob hanc causam David Rex percussit Syriam Damasci, eo quod auxilium præbebat Adazeri Regi Soba. (2. Reg. 8.)

Septima iusti belli causa esse potest, si publicam injuriam quisquam Principi intulerit, & ille, aut qui illi præest, dignam recompensationem reddere noluerit. Hæc sola fuit causa, propter quam David Rex bellum movit adversus Hanon Ammonitarum Regem (2. Reg. 10.) Nam ille publica injuria affecerat David Regem, quum ille mediam partem barbe nuntiorum, quos David Rex ad illum miserat, radi, & vestes illorum medias usque ad nates præcindi jusit. Hæc enim injuria non solum ipsis nuntiis, qui passi sunt, sed etiam Regi, à quo missi fuerant, illata est. Regi igitur, qui injuriam passus est, ejusdem injuriæ compensationem per se ipsum sumere licet: quia superiorem, à quo illam petat, non habet. Sed cum hanc petere tentat, hoc præ oculis illum habere oportet, ne occasione vindictæ, id faciat. Ut videlicet justitia publica servetur, & quisque sibi ipsi deinceps caveat, ne alteri injuriam inferat. Octava iusti belli causa esse potest rebellio subditorum, qui contra Principem suum insurgunt, & ab illo admoniti illi obedire contemnunt. Nam Princeps sic contemptus jure potest contra subditos rebelles bellum movere.

Cujus rei testimonium fidele præbet nobis David Rex qui bellum movit adversus Seba filium Bochi (2. Reg. 20.): propterea quod populum sollicitavit, ut à Davide Rege ad ipsum desciceret. Ideo Augustinus libro 22. contra Faustum, cap. 74. ait: „Adversus violentiam resistendum, sive Deo, sive aliquo legitimo Imperio jubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, cum in eo rerum humanarum ordine inveniantur, ubi eos, vel jubere tale aliquid, vel in talibus obedire iuste ordo ipse constituit.“ Hæc Augustinus. Sed qui has causas breviori numero comprehendere voluerit, poterit hanc octavam causam ad quartam referre. Quoniam qui adversus rebelles bellum gerit, propriam rem, hoc est, obedientiam petit, quæ iniuste à subdiis illi subtracta est.

Nona iusti belli causa est, si quis scelestum hominem, qui jure puniendus est, defendat ne iustus persolvat penas. Nam Princeps ad quem spectat scelestum hominem punire, iuste potest contra injustum illum defenforem bellum movere. De qua re apertum nobis profert testimonium liber Judicum cap. 20. qui refert undecim tribus Israel (quorum Dux ex mandato Domini fuit Judas) movisse bellum contra Civitatem Gabaa, & totam tribum Benjamin, eo quod homines de Gabaa, qui uxorem viri Levitæ incredibili furore libidinis vexantes, occiderunt, reddere ad supplicium noluerunt, sed tantquam rem justam egissent, defenderunt. Ob quam causam omnes undecim tribus sic ex animo contra tribum Benjamin pugnaverunt, ut parum abfuerit, quin ipsam tribum Benjamin profus delerent. Decima belli iusti causa est, violatio facti, & fœderis initi. Nam ob hanc causam, is, qui ex talis fœderis violatione læsus est, potest iuste contra fœderis violatorem bellum movere. Ob hanc causam Joram Rex Israel adjuvante illum Josaphat Rege Juda, bellum movit contra Mesam Regem Moab, eo quod tributa agnorum, & arietum, quæ ille Regi Achab patri Joram ex fœdere antiquo quotannis solvere tenebatur, reddere noluit (4. Reg. 3.) Si qui autem hoc bellum accusare voluerit, propterea quod à Joram Rege pessimo gestum est, facile hæc accusatio tollitur, per id quod Josaphat Rex Juda justus huic bello supplicias tulit, quas dare noluit nisi prius Dominum per Prophetam consulere, an movere deberet bellum, an non. Elifæus igitur Propheta, qui & si Joram Regem ob illius nequitiam dedignatus est, ob reverentiam tamen Josaphat Regis iusti, inspirante Deo responsa dedit, constantes illos & fortes ad bellum faciens per certam victoriæ promissionem. Ecce omnes belli iusti causas, quas ego ex sacris litteris colligere potui, præter quas nullam aliam reperiri posse existimo, quæ ad aliquam harum reduci non possit. De hoc tamen Lectorem admonere decrevi, ut intelligat easdem causas iusti belli habere illam, qui primum iusti belli motorem juvat, quas ipse primus belli motus habet. Quo fit, ut quisquis iuste bellum gerit, bellando favor, justam belli causam habere dicatur, nisi aliud obstat, quod justitiam belli impediatur. Iusta enim belli causa est favere justitiæ, propter cujus defensionem justum censetur bellum. Iuste enim pugnavit Abraham contra quatuor Reges, qui Loth filium fratris sui captivum ducebant, & eripuit illum de manu illorum (Gen. 14.) Si justam belli causam habuisset Loth contra illos Reges pugnando, & illis resistendo, ne ab illis caperetur, justam etiam belli causam habuit Abraham ipsi Loth supplicias ferendo, ut ipsum ab hostibus eriperet, qui illum iniuste rapuerant. Iuste etiam Josaphat Rex Juda bellum contra Regem Moab gessit, pro Rege Joram, quia ipse Joram Rex, cui ille adiutorium præbebat, iustam (ut diximus) belli causam habebat. (4. Reg. 3.)

Quatuor esse diximus ad justum bellum necessaria, ex quibus duo, quæ diximus esse præcipua hucusque declaravimus, videlicet auctoritatem, & causam; superest, ut alia duo exponamus. Bona intentio in bello requiritur, ut justum illud dici possit. Hoc docet Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 74. sic inquit: „Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia. Hæc sunt, quæ in bellis jure culpantur, quæ plerumque ita culpantur, ut jure etiam puniantur.“ Hæc ille. Sed hæc bona intentio Min non

Min non

Tom. II.

fasci. Quod certissimum est, & experientia docente scimus: Judices Ecclesiastici postquam aliquem de hæresi damnaverunt, & illum obstinatum hæreticum esse censuerunt: statim declarant illum ad suum jus, & ditionem non pertinere, traduntque illum sæculari potestati, tamquam hominem, qui propter hæresis obstinationem, ab Ecclesia exivit, & sub sola potestate laica se ipsam constituit. Cum autem illum Judices Ecclesiastici potestati sæculari tradunt, non petunt ab illa, ut occidat hæreticum, neque illum quovis modo reum mortis esse dicunt. Et si potestas sæcularis hæreticum occidere noluerit: Judices Ecclesiastici non cogunt, neque ullo modo sollicitant illam, ut hæreticum occidat: neque consilium ullum de morte hæretico inferenda umquam donant, immo è contrario ipsam sæculares potestatem semper rogant, ut poenam mortis, aut aliam sanguinis poenam non irrogent illi; tantum abest, ut mortem illius quovis modo procurent. Quæ omnia cum sint certissima, & toti (ut existimo) populo Christiano notissima, miror tantam esse Lutheranorum impudentiam, tamque effrenatam maledicentiam, ut non vereantur dicere, hæreticorum inquisitores similes esse Sacerdotibus Judæorum, qui Christum occiderunt; cum latissimum sit (ut re ipsa constat) inter hos, & illos discrimen. Certe multo rectius, & appositius ego dicere possem, Lutherum illiusque sectas similes esse illis Sacerdotibus Judæorum. Quoniam illi falsos quaesierunt testes, cum veros habere non possent, ut Christum morti traderent: Lutheranus vero falsa perquirunt Scripturæ Sacræ testimonia, cum vera non habeant, ut Corpus Christi quod est Ecclesia profus occidant. Multa dicunt Christum fecisse, & docuisse, quæ nec per somnium umquam cogitavit. Multa Apostolis tribuunt, à quibus illi longissime abfuerunt. Millesque alia fingunt commenta, non ob aliam causam: nisi, ut Ecclesiam, quæ Christi corpus est interire faciant, & aliam nobis donent Ecclesiam malignantiæ, quam Propheta Regius se odisse prædixit. (Psal. 25.)

Quarto nobis obijciunt Lutheranus, & qui illis in hac parte favent, parabolam illam de tritico, super quod inimicus homo feminavit zizania, quæ videntur servi patrisfamilias dixerunt ei. (Matth. 13.) *Vis imus, & colligimus ea? Quibus respondit idem paterfamilias: Non, ne forte colligentes zizania eradicetis simul & triticum; sinite utraque crescere usque ad messem.* Si Deus prohibet eradicare zizania: ergo injuste, & contra Dei præceptum (ut Lutheranis videtur) faciunt, qui hæreticos per zizania significatos, de agro hujus mundi per mortem eradicant. Hoc est Lutheranorum fortissimum argumentum, cui magis illi innotuit, & per quod se de nobis triumphare existimant. Sed nos (Deo duce) facillimum esse offendemus, quod ex falsa litteræ intelligentia procedit. Primo quidem non est opus personas, aut res alias in parabola positas explicare, cum ipsemet veritatis magister Apostolis petentibus illorum omnium interpretationem reddiderit, sic inquit. Qui seminat bonum semen, est filius hominis: Ager autem est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni: Zizania autem, filii sunt nequam. Inimicus autem, qui feminavit ea, est diabolus. Ex qua interpretatione constat: zizaniorum nomen melius ipsis hæreticis, quam illorum hæresibus adaptari. Quod dixi, propter aliquos, qui in dubium vertunt, an hæc parabola hæresibus, an hæreticis conveniat. Zizania (inquit Christus) filii sunt nequam. Sed opus est, ut reliqua diligenter perscrutemur. Cum servi patrisfamili-

as vellent zizania colligere, prohibuit illis, ne id facerent paterfamilias sic inquit: *Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul & triticum.* In quibus verbis id maxime annotandum est, quod non absolute, & generaliter, & absque ulla causa prohibuit, talium zizaniorum collectionem: sed statim causam reddidit, propter quam hoc fieri prohibebat. Ne forte (inquit paterfamilias) colligentes zizania, eradicetis simul & triticum. Metus igitur eradicandi triticum, est causa, ut tolerentur zizania crescere cum tritico. Ex opposito igitur colligere oportet, quod quando nulla est sic metuendi ratio, ut puta: quia apertum est, & optime noscitur inter triticum, & zizania discrimen: & unum alteri non est adeo conjunctum, aut connexum, aut non possit facillime unum sine altero eradicari: tunc paterfamilias non prohibet fieri zizaniorum eradicationem. Si nullam expressisset in prohibitione causam, sed absolute loquutus fuisset, & quamvis aliqua re vera essent prohibitionis causæ, ut illæ omnes essent: fateor, semper extaret integra prohibitionis virtus. Si tamen causam principalem motivam, & finalem legislator exprimit, propter quam se aliquid præcipere, aut prohibere testatur; consequens est, ut cessante illa causa, cesset etiam præceptum aut prohibitio. Talem enim causam exprimens legislator aperte declaravit, quod si illa causa non subsistet, nihil tale præcepisset, aut prohibuisset. Nam si illa seclusa nihilominus præcepisset, aut prohibuisset: consequens est, ut illa non fuerit unica, & sola præcepti, aut prohibitionis causa. Per illa ergo præ-

fata verba, sicut paterfamilias servis prohibuit, ut stante metu eradicationis tritici non colligerentur zizania: ita ex opposito eidem servis concessit, ut nulla existente justa metu causa possent zizania colligere. Ad hunc profus modum (ut parabolam nostro proposito accomodemus) in hæreticorum punitione exercenda, faciendum esse censo. Si de homine aliquo dubitatur, hæreticus ne sit ille, an secus: propterea quod non plene constat illum talem hæreticam asserionem dixisse, aut non constat illum esse pertinacem, aut si constat illum talem aliquam propositionem pertinaciter docuisse, non tamen constat illam propositionem esse hæreticam, tunc certe nimis injuste agerent inquisitores, si illum hæreticum declararent, & injuste, atque creduliter ageret laica potestas, si illum occidi juberet. Tunc enim illi dicit Deus: *Non colligatis zizania, ne forte simul eradicetis & triticum.* Si vero certissime noscitur aliquem hominem esse hæreticum: quia assertio, quam tuetur, ex diametro pugnat cum Catholica fide, & ille semel, & pluries legitime admonitus non vult respicere: tunc licite occidendus est: quia non timeretur ut Catholicus pro infideli occideretur. Hunc autem esse verum & germanum illius litteræ sensum testatur Beatus Hieronymus, qui in commentariis super Matthæum præfatam parabolam interpretans, ait: *Quod autem dicitur: Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul & frumentum, datur locus penitentiae, & monetur, ne cito amputemus fratrem. Quia fieri potest, ut ille, qui noxio depravatus est dogmate, cras respiciat, & defendere incipiat veritatem. Illud quoque, quod sequitur. Sinite utraque crescere ad messem, videtur illi præcepto esse contrarium: (1. Cor. 5.) *Auferte malum de medio vestrum, & nequaquam societatem habendam, cum his, qui fratres nominantur, ut sunt adulteri, & fornicatores.* Si enim prohibetur, eradicatio, & usque ad messem tenenda est patientia, quo modo ejiciendi sunt quidam de medio vestrum. In-*

ter

ter triticum, & zizania, quod nos appellamus lolium, quæ candida herba est, & nondum culmus venit ad spicam, grandis similitudo est: & in discernendo, aut nulla, aut per difficilis est distantia. Præmouet ergo Dominus, ne ubi quid ambiguum est, cito sententiam proferamus, ut quum dies judicii venerit, illum non suspicio criminis: sed manifestum reatum de sancto, tum cæci ejiciat. Hæc Hieronymus. Qui tam aperte nostram confirmat sententiam, ut nihil apertius pro illius asserione dici possit. Eidem sententiæ subscribit Augustinus, qui libro tertio contra Epistolam Parmeniani, cap. 2. sic ait: *Ipse Dominus quum servis volentibus zizania colligere, dixit: Sinite utraque crescere usque ad messem, præmisit causam dicens: Ne forte cum vultis colligere zizania, eradicetis simul & triticum. Ubi satis ostendit, cum metus iste non subsistet: sed omnino de frumentorum certa stabilitate certa securitas manet, id est, quando ita cuiusque crimen notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prioribus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non domiat severitas disciplinae, in qua tanto est efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior confirmatio charitatis.* Hæc Augustinus. Qui apertissime nostræ favet sententiæ.

## CAPUT XIV.

An liceat hæreticos bello oppugnare, postquam de illorum pertinacia, atque rebellionem plene constiterit.

EO Tempore quo opus hoc de justa hæreticorum punitione scribebam, Tridenti aderam, ubi hortante, atque sollicitante Carolo Cæsare semper Augusto hujus nominis quinto, Hispaniarumque Rege ejusdem nominis Primo, Paulus tertius summus hujus nominis Pontifex, generale tunc convocaverat Concilium, ad quod ex mandato serenissimi Philippi Hispaniarum Principis, qui tunc Hispanias propter Caroli Patris absentiam moderabatur, perveneram. Per id tempus idem Carolus Cæsar, contra quosdam Germaniæ Principes ob multas, easque justissimas causas bellum movere decrevit. Progreddente igitur bello, quum illud talia jam haberet initia, ut magnam victoriæ preberent spem, ego propter morbum, qui diu, atque acerbè me ibidem vexabat, horratu medicorum, qui meæ salutis consulabant è Tridento in Hispaniam meumque natale solum redire coactus sum. Quo quum redirem, multos, variosque homines, qui se fideles Catholicos jactabant, in via audivi, qui bellum, quod Cæsar gerebat ob solam Christianiæ religionis causam ab illo motum esse interpretantes, eundem Cæsarem ob eandem causam improbe, atque irreligiose accusabant, dicentes rem minime Christianam esse, hæreticos bello oppugnare: quia illi (ut dicebant) non armis, sed rationibus vincendi erant. Hac igitur occasione ego motus, decrevi hanc controversiam huic operi, quod jam ad umbilicum perduxeram, inferere, ut ostenderem toto (ut dicitur) errare cæco esse, qui ita sentiunt. Ut autem hoc apertius ostendere valeamus, illud ante omnia statuere oportet, non omne bellum esse malum, & lege divina damnatum, ut Manichæi, & alii hæretici sentiunt: sed aliquod esse bellum lege divina non solum permittum: verum etiam laudatum, illud scilicet, cui omnia adfunt, quæ ad justum bellum exiguntur. Nam Joannes ille præcurator Domini, quo nullus inter natos

mulierum major surrexit, (Luc. 3.) militibus interioribus eum quid facerent, ut vitam assequerentur æternam: non præcepit arma abjicere, militiam deserre, neminem percutere, neminem in bello occidere, aut vulnerare: sed solum hoc præcepit, ut neminem concuterent, neque calumniam facerent, & contenti essent stipendiis suis. Si autem omne bellum esset damnatione dignum, non hoc solo contentus esse debuisset Joannes Baptista: sed oportebat, ut omne bellum illis prohiberetur. Cum ego nihil tale illis dixerit, eo ipso visus est sentire aliquod esse bellum laude dignum. Deinde ipse veritatis Magister Christus Salvator noster monet tributa Cæsari reddi, quæ ob eam causam (juxta Pauli sententiam) (Matth. 22.) reddi jubeantur, ut inde militi ad pacis conservationem necessario stipendium solvatur. Nam de obedientia Principi præstantia Paulus differens, ait: (Roman. 13.) *Ideoque necessitati subditi estote, non solum propter iram: sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes.* Ex quibus omnibus apertissime constat aliquod esse posse justum bellum. Quæ autem sunt necessaria & sufficientia, ut justum aliquid sit bellum, nunc explicare oportet, ut inde constare possit, an justum sit hæreticos bello oppugnare. Ut bellum sit justum iustitia illa, quæ solum excludit obligationem restitutionis eorum, quæ in bello sunt capta, sola duo sunt necessaria: videlicet auctoritas, & potestas ad bellum faciendum, & causa necessaria. Si tamen bellum debet esse justum, iustitia illa, quæ excludit peccatum, hoc est, ut sine peccato fiat, duo insuper alia sunt necessaria. Horum primum est, ut bono animo, & bona intentione bellum inferatur. Alterum, ut persona, quæ in bello pugnare debet, sit ad bellum legitima, id est talis, cui non sit lege prohibitum in bello pugnare. Tertium, aliqui addunt videlicet rem, pro qua bellum geritur, ita ut bellum fiat pro rebus recuperandis aut pro patriæ defensione. Sed hoc tertium (ut ego censo) superfluum: quia continetur sub altero ex duobus primis, videlicet sub justa causa. Oportet igitur, ut omnia hæc quatuor, quæ diximus esse requisita sigillatim discutiamus, & inde aperte constabit justum posse esse bellum, quod contra hæreticos fieri contingeret. Primum igitur necessarium ad bellum justum esse auctoritas bellum facientis. Non enim quilibet pro suo arbitrio potest bellum movere: sed solus ille, qui non habet superiorem, à quo injuriæ, aut damni sibi illati recompensationem petere possit. Nam qui superioriorem habet, ad quem possit confugere pro recompensatione, aut vindicta impetranda, non potest bellum movere. Nam Dominus hoc illi aperte prohibuit dicens: (Deut. 32.) *Mihi vindictam, & retribuam.* At qui à superiore, qui loco Dei præest vindictam petit, à Deo perit, qui illum ad hoc constituit suum ministrum, ut illos, quorum curam habet, tueatur, & protegat ab omnibus, qui illis nocere voluerint, sive subditi illius sint invasores, sive extranei. De subditis enim loquebatur Paulus, quum ad Romanos scribens cap. 13. dicit: *Si malum feceris, timei non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindicæ in iram ei, qui malum agit.* Ad hoc enim censo Paulus, datum esse à Deo Principibus gladium, hoc est puniendi potestatem, ut subditos malefactorum punire possit, & sic lætorum injurias vindicare. Circa extraneos vero intelligendum est id, quod Regius Propheta ait: (Psal. 81.) *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Eisdem etiam loquitur Hieremias Propheta cap.

L

22.



aliis etiam, si possit, persuadere conatus est. Legerunt hos multi, & illis perlectis sic à veritate in mendacium translati sunt, ut multo peiores, multoque pestilenciores Luthero statim in Germania surrexerint hæretici, qui libris etiam æditis suas hæreses confirmare curarunt. His igitur mediis intra paucos annos tota fere Germania jam perit, quæ bona erat olim Christiani orbis pars. Nec intra solam Germaniam hæc pestis se continuit, quod sine gemitu, & lachrymis dicendum non erat: sed per totam fere Europam vagatur, atque grassatur. Rara siquidem est in toto Christiano orbe provincia, in qua non sint aliqui Lutherani, aut publici, aut occulti. Quod non aliunde evenisse certissime constat, nisi quod libri Lutheri, & aliorum ejusdem classis hominum, per omnes fere provincias impune deportati sunt, & cuicumque legere volenti sunt exhibiti. Et inde pestis hæc tantas vires eundo acquisivit, ut nisi Deus sua benignitate, & clementia huic morbo tam late grassanti mederi dignetur, nulla sit jam reliqua spes. Si tamen à principio ea qua decebat diligentia, tales libri fuissent prohibiti, & illorum portatores, venditores, lectores, detentores fuissent acerba severitate puniti, non tantum hæc pestis invaluisset. Sic enim faciendum esse quidam egregius Poeta præcepit, dicens:

Principiis obsta: sero medicina paratur,  
Cum mala per longas invaluerit moras.

Quisquis igitur diligenter perspexerit, quam grave nocentem recentes hæretici libris suis Christianæ reipublicæ intulerint, merito cum Hieremia Propheta plorabit, & dicet: (*Tren. 4.*) *Lamia nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos.* Nam hæc verba de hæreticorum nimium atroci crudelitate, quam illi per scripturas suas cum fidelibus Catholicis exercent, interpretatur Beatus Hieronymus in commentariis super Trens Hieremias sic inquit: „Lamia humanam faciem habet, sed corpus „bestiale. Et aliquibus interpositis, subdit: Possunt in „lamia hæretici accipi, qui humanam quidem faciem „sed belluina per impietatem corda gerant. Hi tunc „mammam nudant, quando errorem suum libere prædicant. Tunc catulos lactant, quando male sequaces „parvulorum animas, dum perversa insinuant, ad impietatem nutriendo confirmant.“ Hæc Hieronymus. Cum igitur evidentissimis rationibus, certissimæque rerum experientia constet, hæreticorum libros nimium Christianæ reipublicæ nocere, inde necessario, consequens est tales libros esse comburendos, aut alio quovis modo ex orbe delendos, ut à nemine legi possint. Si puteus aqueus, aut fons publicus, ex quo populus aquam ad potum haurire solet, inficeretur veneno, is qui populi regimen tenet, deberet puteum obstruere, ne quis forte ex illo incautus bibens periret. Et si rector populi nollet obstruere puteum, sed vellet omnibus esse patentem, eo ipso totius populi certissimus hostis merito censendus esset. Nihilotenus de hæreticorum libris dicendum esse apertissime constat. Nam illorum libri quasi putei publici facti sunt, postquam in publicum prodierunt: qui cum sint hæreses veneno infecti, necessarium erit illos ab orbe toto relegere ne quis forte ad illos accedens, hæreses venenum ab illis hauriat, quo inficiatur, & pereat. Quisquis igitur illos cum prohibere possit, permiserit, is totius reipublicæ Christianæ apertus hostis juste censetur. Quia omnes, quos potuerit fideles, vult perdere, & in pestiferos errores trahere, cum ab illis non removeat hæreticorum libros, qui magnam offerunt hæresum occasio-

nem. Nam (ut optime Symmachus Papa dixit) non grandis est differentia an letum inferas, vel admittas, mortem enim languentibus probatur insingere, qui hanc cum possit, non excludit. Et certe (ut aperte loquar) omnis Rex, aut Prorex, aut civitatis Rector, aut quævis alia potestas ex industria permittens in terris suæ ditioni subjectis libros hæreticorum vendi, præter hoc, quod gravissime peccat, vehementem ob hoc solum præbet contra se hæresis suspicionem. Quod apertissimo testimonio B. Innocentii Papæ hujus nominis primi probari potest, qui in Epistola quadam, hæc ait: Negligere quippe, cum possit perturbare perverfos, nihil est aliud quam fovere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifestio facinorosi desinit obviare. Hæc Innocentius ille. Quæ verba citantur à Gratiano in cap. Error 83. distin. Nulla certe est via, qua magis possit occurrere hæresibus, ne in populo orientur, & ne exortæ ultra grassentur, quam si hæreticorum libri, ex quibus hæresis venenum facile quis incautus bibere potest, prohibeantur. Quo fit, ut juxta Innocentii sententiam, non careat scrupulo societatis occultæ Rex aut quæcumque alia potestas, quæ hæresibus per librorum combustionem, desinit obviare. Nec solum est de hæresi suspectus, qui hæreticorum libros, cum prohibere possit, vendere permittit: sed reus coram Deo erit omnium hæresum, in quas illorum librorum lectores, occasione ab illis capta, fuerint lapsi. Nam de talibus Paulus loquens, ait: (*Rom. 1.*) *Qui talia agunt, digni sunt morte: non solum, qui faciunt ea: sed etiam, qui consentiunt facientibus.* Quæ locum Glossa ordinaria interpretans, ait: Consentire est tacere, cum possis redarguere. Et Beatus Damasus Papa: Qui potest obviare, & perturbare perverfos, & non facit: nihil aliud est, quam favere impietati eorum. Hæc ille. Si hæretici libris suis (ut diximus) fidelibus nocent, necessario consequens est, ut ejusdem nocenti sit particeps omnis ille dominus, qui eum possit, non vult tale nocentem vitare, præsertim si dominus fuit admonitus de nocentem, quod ex lectione talium librorum oriri poterat. Cujus sententiæ umbram in veteri lege perfectissime delineat invenimus: ubi de domino bovis cornupetæ, qui admonitus illum recludere noluisse, Deus hanc condidit legem: (*Exod. 21.*) *Si bos cornupetæ fuerit ab heri, & nudus tertius, & contestati sunt dominum ejus, nec reclusit dominus eum, occideritque virum, aut mulierem, & bos lapidibus obruetur, & dominum illius occidit.* Non ob aliam causam Deus tunc jussit dominum bovis cornupetæ occidi: nisi quia censuit illum homicidam, quamvis ille manu sua neminem occidisset. Quia tamen Dominus noluit bovem recludere, & sic mortem hominis, quæ à bove provenire potuisset, vitare contempsit, imputabatur illi mors, ac si ipsemet propria manu illum inereret. Justum quippe est, ut ille de damno illato habeatur reus, propter cuius culpam, & negligentiam damnum illud evenisset constat. Simili poena constringendum esse constat, dominum illum, qui admonitus libros aliquos esse pernitiosos & fidei Catholicæ incommodos, illos non vult prohibere. Nam si postea aliqui ex lectione illorum librorum mortem animæ incurserint, illorum mors domino imputabitur, qui cum possit, noluit mortis occasionem auferre. Ideo Salvator noster ait: (*Matth. 18.*) *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Is haud dubie credentes in Christum scandalizat, qui illis præbet occasionem disce-

den-

dendi à fide, quam Christus, & Apostoli ejus docuerunt. Qui librum in favorem alicujus hæresis scribit, is aperte credentes in Christum scandalizat: quia aliis præbet occasionem, ut à vera fide discedant. At qui hujusmodi libros, cum possit, prohibere negligit, eandem culpam habet, ac si ille librum scripsisset. Facientis quippe culpam habet, qui quod potest, negligit emendare: consequens igitur est, ut ille etiam credentes in Christum scandalizare dicatur, qui libros hæreticorum negligit prohibere. Expediret ergo huic (juxta dictum Salvatoris) ut suspenderetur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Propter hæc omnes urgentissimas rationes non solum Pontifices Summi, quibus hoc potissimum incumbit negotium, sed etiam Imperatores, & Reges, qui aliquam fidei Catholicæ rationem habere voluerunt, hæreticorum libros esse comburendos legibus, & decretis ante multa sæcula statuerunt. Nam constantinus ille, qui primus imperii majestatem Christi humilitati subiecit, Arrianorum libros omnes jussit comburi, mortis supplicium minatus omnibus, qui tales libros servassent. Et quo major verbis meis adhibeam fides Epistolam ejusdem Constantini, quam ille Episcopis, & populo, de hæc re scripsit, hic inferere decrevi, quæ talis est.

Victor Constantinus Maximus Augustus, Episcopis,  
& Populo.

Malignos, & impios Arrius imitatus, dignum est, ut illorum quoque suscipiat ultionem. Sicut ergo Porphyrius divina pieratis inimicus, iniqua volumina contra religionem proferens, dignam promovit munire mercedem, & talem, per quam imposterum esset opprobrium, & plurima completeretur infamia: & nunc placuit Arrium, & confectatores ejus vocari Porphyrianos, ut quorum mores imitati sunt, eorum vocabulo esset opprobrium. Super hæc autem, si qua conscriptio ab Arrio facta reperitur, igni tradatur, ut non solum prava ejus doctrina deperat, sed neque ulla ejus possint remanere commenta. Hoc etiam præcipio, si quis conscriptiones Arrii celasse comperit, & non repente proferens igne consumpserit, mortis supplicio subiacebit. Mox enim, ut in hoc fuerit captus, capitalem suscipiat ultionem. Deus vos custodiat. Hactenus Epistola Constantini, quæ habetur lib. 2. Historiæ tripartitæ, cap. 15. Post Constantinum magnum elapsis annis plurimum centum & quinquaginta, Valentinianus, & Martianus Augusti contra Eutychetis, & Apollinaris sectatores varias statuit penas, & deinde contra eos, qui libros istorum dogmata continentem servassent: legem statuerunt hæc verba continentem: Nulli etiam contra venerabile Chalcedonensem Synodum liceat, vel aliquid dicere, vel scribere, vel ædare, atque emittere, ut alicuius dicta, vel scripta super eadem re proferre, nemo hujusmodi habere libros, & sacilega scripturarum audeat monumenta servare. Quod si qui in his criminibus fuerint deprehensi, perpetua deportatione damnantur. Eos vero, qui discendi studio adjecerint, de infamata hæresi disputantes, decem librarum auri, quæ fisco nostro inferendæ sunt, jubemus subire dispendium. Ultimo etiam supplicio coercentur, qui illicita docere tentaverint. Omnes vero hujusmodi chardi, chartæ, ac libri, qui funestum Eutychetis, & Apollinaris complexi fuerint dogma, incendio concrementur, ut facinorose pervertitatis vestigia

flammis combusta deperant. Equum namque est, ut immanissima sacrilegia par penæ magnitudo percellat. Scientibus moderatoribus provinciarum, eorumque apparitoribus, defensoribus etiam civitatum, quod si ea, quæ legis hujus religiosissima sanctione custodire decrevimus, aut neglexerint, aut aliqua permiserint temeritate violari, denarum librarum auri multam fisco nostro inferre cogantur: insuper etiam exificationis suæ periculum sustinebunt. Hæc Imperatores Valentinianus, & Martianus: & habentur in lege. Quicumque, C. de hæreticis. Idem etiam statuerunt Imperatores Theodosius, & Valentinianus, ut constat ex leg. damnato, in eodem, C. tit. Ecce vides sanctam imperatorum diligentiam circa prohibitionem librorum hæreticorum, & religiosam acerbissimam in illorum combustionem. Sed numquid Pontifices summi, & sancti hoc agnoscentes damnaverunt istarum legum severitatem? Nequaquam, immo potius verbis, & opere illam commendaverunt, idem ipsi facientes, & suis decretis idem aliis facere præcipientes. Nam Leo primus, hujus nominis Pontifex in Epistola quadam ad Toribium Astorigensem Episcopum cap. 15. sic ait: Curandum est, & sacerdotali diligentia maxime providendum, ut falsi codices, & à sincera veritate discordes, in nullo usu lectionis habeantur. Apocryphæ autem scripturæ, quæ sub nominibus Apostolorum, multarum habent seminarium falsitatum, non solum interdiciendæ, sed etiam penitus auferendæ sunt, atque ignibus concremandæ. Quamvis enim sunt in illis quedam, quæ videantur speciem habere pietatis numquam tamen vacua sunt venenis: sed per fabularum illecebras hoc latentem operantur, ut mirabilium narratione seductos, laqueis cujuscumque erroris involvant. Unde si quis Episcoporum, vel apocrypha haberi per domos non prohiberit, vel sub canonicorum nomine eos codices in Ecclesia permiserit legi, qui Priscilliani adulterina sunt emendatione corrupti, hæreticum se noverit judicandum: quoniam qui alium ab errore non revocat, se ipsum errare demonstrat. Hæc Leo Papa vir sanctus juxta, ac doctus. Quid autem Gelasius Papa de hæreticorum libris censuerit faciendum, liber Pontificalis declarat, qui vitam hujus Gelasii, describens, hæc inter alia refert. Hujus temporibus inventi sunt Manichæi in urbe Roma, quos in exilio deportari præcepit, quorum quoque codices ante fores Basilicæ Sanctæ Mariæ incendio concremavit. Hæc in libro Pontificali de Gelasio dicuntur. Præterea libros Joannis Vvicleph comburi duo Archiepiscopi Apostolicæ sedis legati primo præceperunt, deinde Ecclesiæ universalis in duobus generalibus Conciliis Romano, & Constantiensi congregata idem fieri præcepit, prout apertissime constat ex gestis Concilii Constantiensis, sessione octava, ubi postquam dicitur, libros præfati Joannis Vvicleph fuisse in Concilio Romano ad ignem damnatos, ipsiusmet Constantiensis Concilii insuper additur descriptio, his verbis, quæ proxime sequuntur expressa: In nomine Domini nostri Jesu Christi hæc Sancta Synodus sententias prædictorum Archiepiscoporum, ac Concilii Romani ratificans, & approbans, prædictos articulos, & eorum quemlibet, libros ejusdem dialogum, & trialogum per eundem Joannem Vvicleph nominatos, & alios ejusdem auctoris libros, volumina, tractatus, & opuscula, quocumque nomine censeantur, quos hic haberi vult pro sufficienter expressis, hoc perpetuo decreto reprobat, & condemnat. Et eorumdem librorum, & cujuslibet ipsorum lectionem, doctrinam, expositionem, & allegationem, nisi ad eorum